

tholica, quantum instructioni satis est, subdi: ut velut quodam ex omnibus concepto commonitorio, si quis aliquam objectionem aut convictionem uberius, plenius, ac planius nosse voluerit, ad opulenta & magnifica volumina transmittatur, quibus à diversis, & præcipuè à veneratione tua in hoc ipsum constat elaboratum. Sufficiet enim admonitio talis, ut puto, doctis & imperitis, otiosis & occupatis, & ad cuiuslibet gradus ministerium Ecclesiæ undecumque promotis; dum & ille qui multa legit, eadem breviter recordatus, & compendio ignarus instruitur: ut noverit quid teneat, quid evitet; quid aversetur ne faciat, quid ut faciat assequatur. Fortassis autem, si tamen quod arbitror verum est, etiam adversus calumniantium malignas mentes, & dolosa labia opus hoc parvum inter cetera mirifica * testimonio coronæ tuæ non deerit: ut quibus patet camus calumniandi profusior, validis & ex omni parte conclusis fidei limitibus coartati, omnibusque veritatis telorum generibus circumacti, etiam uno multiformi jaculo repenti prostrati, morticinos spiritus non audeant anhelare.

4. Video quam onerosus existam meliora cogitanti, & disponenti majora sancto seni, & querelas corporis sustinenti. Sed per Christum Dominum rogo, qui te participem sapientiæ suæ sine invidiâ esse concessit, ut hanc gratiam dones indoctis Ecclesiæ, qui te agnoscis sapientibus atque insipientibus debitorem, meriti ac jure dicturus: Videte quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem. Potui adhuc * offerre supplices & multiplices preces,

Rom. I. 14.
Eccli. 24.
47.
* offerre, in
aliquot.
MSS.

& mecum imperitorum classes adsciscere: sed malui jam gaudere dictantem, quam adhuc occupare legentem.

EPISTOLA

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI.

Dilectissimo filio & condiacono * QUODVULT-
DEO, AUGUSTINUS episcopus.

* Nonnull.
MSS.
Condiaco-
no Quod-
vultdeus.

Acceptis litteris caritatis tuæ, ubi à me ardentissimo studio postulasti, ut de omnibus hæresibus, quæ post Domini Salvatoris adventum adversus ejus doctrinam pullulaverunt, aliquid breviter scriberem: quam sit hoc difficile, continuo reperta occasione rescripsi per filium meum hipponensium primum Philocalum: mox autem etiam ista oblata est, qua nunc rescribo, & breviter difficultatem operis ejus ostendo.

2. Philastrius quidam * brixienis episcopus, quem cum sancto Ambrosio Mediolani etiam ipse vidi, scripsit hinc librum; nec illas hæreses prætermittens, quæ in populo judæo fuerunt ante adventum Domini, easque viginti octo commemoravit: & post Domini adventum CXXVIII. Scripsit etiam hinc græcè episcopus cyprius Epiphanius, in doctrina catholicæ fidei laudabiliter diffamatus, sed ipse utriusque temporis hæreses colligens, LXXX. complexus est. Cum ergo ambo id

Epistola
CCXXII.
tom. 2.

* MSS.
Brixienis.

vellent facere quod à me petis, quantum tamen inter se differant, de numero interim sectarum vides: quod utique non evenisset, nisi aliud uni eorum videretur esse hæresis, & aliud alteri. Neque enim putandum est aliquas ignorasse Epiphanium, quas noverat Philastrius, cum Epiphanium longè Philastrio doctiorem invenerimus: ita ut Philastrium potius dicere deberemus latuisse plurimas, si tamen plures esset ille complexus, & iste pauciores. Sed proculdubio in ea quæstione ubi disceptatur, quid sit hæresis, non idem videbatur ambobus: & re vera hoc omnino definire difficile est, & ideò cavendum, cum omnes in numerum redigere conamur, ne præmittamus aliquas, quamvis hæreses sint; aut annumeremus aliquas, cum hæreses non sint. Vide ergo ne fortè librum sancti Epiphani tibi mittere debeam (ipsum enim arbitror Philastrio doctius hinc locutum) qui possit apud Carthaginem in latinam linguam verti facilius atque commodius, ut tu potius præstes nobis, quod quæris à nobis.

*Honorati,
in aliquor,
MSS.

3. Perlatorem multum commendo. Subdiaconus est de nostra dicecesi: de fundo autem viri spectabilis, nobisque carissimi *Orontii. Pro illo autem, & pro ejus patre, à quo adoptatus est, etiam ad ipsum scripsi: quas litteras cum legerit christiana benignitas tua, peto ut eas apud memoratum virum tua intercessione adjuvare digneris. Misi autem cum illo etiam hominem ecclesiæ, ne ad tuam sanctitatem difficilis ei esset accessus: non enim parum de illo sollicitus sum, à qua me sollicitudine Dominus ut spero, per tuæ caritatis instantiam liberabit. Peto etiam mihi rescribere non graveris, quemadmodum sit in
fi-

fide catholica ille Theodosius, per quem manichæi nonnulli sunt proditi; & ipsi quos ab eo proditos, putamus esse correctos. Si quid etiam de profectione sanctorum episcoporum fortè audivisti, fac ut noverim. Deo vivas.

*Domino merito venerabili, ac beatissimo
sacro Patri AUGUSTINO episcopo
QUODVULDEUS diaconus.*

Unum quidem reverentiæ tuæ commontorium, quod per ecclesiasticum dignatus es destinare, suscepi. Nam quod prius directum esse beatitudo tua significavit, per virum honorabilem Philocalum, necdum ad me pervenit. Verum quamvis conscius propriorum semper fuerim peccatorum, nunc tamen evidenter agnovi, adipiscendo illi quod exoravi muneri, meam toti Ecclesiæ impedimento esse personam. Sed omnino confido, quoniam qui per Unici sui gratiam, humani generis dignatus est delere facinora, nec mea in perniciem cunctorum prævalere permittet, potiusque ubi abundavit peccatum, gratiam faciet redundare, Domine merito venerabilis, ac verè beatissime Pater. Difficultatem operis, quod instruendis imperitissimis nobis per tuam beneficentiam præstari suppliciter exoravi, nec ipse ignorans antè prædixi, sed de divini fontis ubertate, quam tibi Dominus tribuit, veraci corde præsumsi.

2. Nam etsi Philastrius, & Epiphanius venerandi episcopi tale aliquid scripsisse memorantur, quod proculdubio me inter ce-


Epistola
CCXXIII.
Tom. 2.

Rom. 5.20.

tera, imò sicut omnia latet, non tamen ar-
bitror eos hanc curam diligentiamque ad-
hibuisse, ut singulis quibusque opinionibus
contrarias etiam* opiniones adjungerent, ritusque subjicerent: tum denique opus illud
utriusque qualecumque sit, non habet for-
tassis eam, quam desidero brevitatem. Frustrà etiam homini, qui latina non didicit, græca facundia delegatur: quia non ego tantummodò consilium, sed & auxilium postulavi. Quid autem venerationem tuam de interpretum non solum difficultate, sed etiam obscuritate admoneam, cum ipse hoc magis ac plenè dijudices? Accedit ad causam, quod nonnulla etiam post illorum obitum hæreses emersisse doceantur, quarum nullam illi fecerint mentionem.

3. Quamobrem ad peculiare patrocini-
um pietatis tuæ confugio, & voce mea, sed universali desiderio, paratum ad misericordiam sacrosanctum pietatis pectus appello, sequestratis saporibus peregrinis, considerato textu prioris epistolæ, panem Afrum, quem nostra provincia solet habere præcipuum, cælesti etiam manna conditum, serò pulsanti, & famem patienti non deneges. Profectò enim nec ego pulsare cessabo, donec ipse concedas: ut quod non impetrat privilegi-
um, ubi nullum est meritum, saltem indefessa importunitas mereatur.

Epis-



EPISTOLA

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI.

Domino sinceriter dilectissimo fratri & con-
diacono QUODVULDEO AUGUSTINUS
episcopus.

CUM mihi hæc scribendi offerretur occasio per fussalensem presbyterum, quem commendo caritati tuæ, relegi epistolam tuam, in qua petis, ut de hæresibus, quæ oriri potuerunt ex quo Domini in carne nuntiarì cœpit adventus, aliquid scriberem. Hoc autem feci, ut viderem utrùm jam deberem opus ipsum aggredi, & inde tibi aliquid mittere: ubi considerares tanto esse difficilius, quanto vis effici brevius. Sed ne hoc quidem potui, talibus curis supervenientibus impeditus, à quibus omninò dissimulare non possem: nam me & ab eo, quod habebam in manibus, averterunt.

2. Hoc autem est ubi respondeo libris Juliani, quos octo edidit post illos quatuor, quibus ante respondi. Hos enim cum Romæ accepisset frater Alypius, nondùm omnes descripserat, cum oblatam occasionem noluit præterire, per quam mihi quinque transmissit; promittens alios tres citò se esse missurum, & multum instans ne respondere differrem. Cujus instantia coactus sum remissius agere * quod agebam; ut operi utrique non


Epistola
CCXXIV.
tom. 2.

* quàm, in
aliquos MSS.

non deessem, uni diebus, alteri noctibus: quando mihi ab aliis occupationibus hinc atque hinc venire non desistentibus parceretur. Agebam verò rem plurimum necessariam: nam retractabam opuscula mea, & si quid in eis me offenderet, vel alios offendere posset, partim reprehendendo, partim defendendo, quod legi deberet, & posset, operabar: & duo volumina jam absolveram, retractatis omnibus libris meis, quorum numerum nesciebam, eosque CCXXXII esse cognovi. Restabant epistolæ & tractatus populares, quos græci homilias vocant: & plurimas epistolarum legeram, sed adhuc nihil inde dictaveram, cum me etiam isti Juliani libri occupare cœperant, quorum nunc quarto respondere cœpi. Quando ergo id explicavero, quintoque respondero, si tres non supervenerint, dispono (si Deus voluerit) & quæ poscis incipere, simul agens utrumque, & hoc scilicet, & illud de retractatione opusculorum nostrorum, nocturnis & diurnis temporibus in singula distribuis.

3. Hoc idè insinuavi sanctitati tuæ, ut quantum tibi desiderium est sumendi quod poscis, tantò fragrantius à Domino mihi poscas adjutorium, quo serviam laudabili studio tuo, atque utilitati eorum, quibus id existimas profuturum, Domine sinceriter dilectissime frater. Commendo iterum perlatores, & negotium propter quod eo perrexit, si cognoveris apud quem agendum sit, peto ne pigeat adjuvare. Non enim possumus necessitates hominum ejusmodi deserere, qui nostri non coloni, sed quod majus est, fratres sunt, & in caritate Christi ad curam pertinent nostram. Deo vivas.

S.



S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE HÆRESIBUS

AD QUODVULTDEUM,

LIBER UNUS.*

* Scriptus
circiter an-
num 428.

I. QUOD petis sapissimè atque instantissimè, sancte fili Quodvultdeus, ut de hæresibus aliquid scribam dignum lectione cupientium dogmata devitare contraria fidei christianæ, & christiani nominis obumbratione fallentia; scias me olim longè antequam peteres, facere cogitasse atque fuisse facturum, nisi diligenter considerans, quale quantumque id esset, ultra virès meas esse sentirem. Sed quoniam fateor nullum mihi, ut te, instituisse poscendo, in ipsa tam molesta instantia tua etiam tuum nomen adtendi, & dixi: Adgrediar, & faciam quod vult Deus. Hoc enim Deum velle confido, si me ad hujus operis terminum misericordi favore perduxerit, ut per ministerium linguæ meæ tanta hujus rei difficultas aut ostendatur tantummodo, aut ipso etiam plenius adjuvante tollatur. Quorum duorum, quod priore loco posui, jam diù est ut animo volvo ac revolvo, & quadam meditatione contueor: quod autem postea dixi, non me accepisse confiteor; & utrum dum hoc ago, ut efficiam, dum peto, dum